



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Castellano, Pervsino, Clusino, & Eugubino Episcopis, & dilectis filiis  
Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Praelatis in eorum diocesisibus  
constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

experti, ut beneficia ipsa personis idoneis appellatione remota valeas assignare; auctoritate tibi presentium indulgemus; firmiter inhibentes ne vel illis qui de manu eius beneficia receperunt, vel aliis qui ei jam excommunicato participare non sunt veriti vel etiam obedire, tanquam indignis, huiusmodi beneficia conferre praesumas. Nulli ergo &c. Datum Laterani V. Kalendas Novembris.

*CASTELLANO, PERUSINO, Clusino, & Eugubino Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prelatis in eorum diocesis constitutis.*

*Epist. 202. Ut Legatum apostolicum severitatem exerceat.*

**A**postolica sedes, quae disponente Domino inter omnes Ecclesias obtinet principatum, alios vocavit in partem sollicitudinis, retenta sibi plenitudine potestatis; ut quoniam Romanus Pontifex pro defectu conditionis humanae per se ipsum omnia expedire non potest, iuветur subsidiis aliorum, quibus vices suas committit, ad exemplum Domini & magistri, qui discipulos suos per mundum universum transmisit, salutem nostram in medio terrae personaliter operatus. Sanè cum nos & fratres nostros, propter curam & sollicitudinem apostolici patrimonij, ab occupationibus variis, quas pro statu Ecclesiarum omnium indefinenter subimus, saepius nos contigerit evocari, nolentes, sicut nec velle debemus, temporalia spiritualibus anteferre, de consilio fratrum nostrorum viam elegimus tutiorem, qua & curam temporalium non negligimus, & spiritualem, sicut convenit, praerimus dignitatem, dilectum filium nostrum G. sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinalem, apostolicae sedis Legatum, virum utique providum & prudentem, & honestate morum & generositate natalium commendandum, quem inter fratres nostros speciali caritate diligimus, ad ea quae praemisimus exequenda duximus assumendum, concessa sibi nihilominus potestate ut in Ecclesiis & parochiis vestro regimini deputatis evellat & destruat, aedificet & plantet, quae in eis evellenda & destruenda, aedificanda occurrerint & plantanda. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatenus ipsum, tanquam honorabile mem-

brum Ecclesiae & Legatum apostolicae sedis, recipientes humiliter & devotè, ipsius salubria monita & statuta & vos ipsi diligenter servetis, & à subditis vestris faciatis efficaciter observari. Nos enim sententiam quam in rebelles & contumaces rationabiliter duxerit promulgandam, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino firmitatem debitam obtinere. Datum Laterani Idibus Octobris.

*Scriptum est super hoc in eandem modum Spoletan. Fulginat. Assisinas. Nucerinon. Reatinen. Narnien.*

*CONSULIBVS ET POPVLO Sutrinis.*

**C**um praeter solitum, immo plus solito, multis & magnis simus negotiis occupati, quae per nos ipsos facere non valemus, per alios cogimur adimplere. Sanè inter alias occupationes & sollicitudines nostras, curam & provisionem apostolici patrimonij non modicas reputamus, tam ad spiritualem jurisdictionem nostram spectantis quam etiam temporalem. Vnde nobis posset non immeritò imputari, si super ordinatione ipsius essemus tepidi vel remissi, qui cunctorum fidelium sollicitudinem gerimus pastorem. Novimus enim (quod tristes & dolentes referimus) quoniam in eo multi quae sua sunt, non quae Iesu Christi, quarentes, & abutentes per insolentiam sedis apostolicae patientia, pacem perturbant, corrumpunt iustitiam, stratam violant, & terram offendant, unde nobis & vobis non modicum derogatur. Cum igitur super his quae praemisimus emendandis cum fratribus nostris tractatum habuerimus diligentem, de ipsorum consilio dilectum filium nostrum G. sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinalem, virumobilem & prudentem, quem inter alios fratres nostros speciali diligimus caritate, operi tam utili & necessario deputantes, ut melius & facilius inunctum sibi officium valeat exercere, dilectum filium P. Praefectum urbis, virumobilem & potentem, sibi duximus adiungendum: quibus dedimus in mandatis ut stratam custodiant, pacem procurent, iustitiam faciant, & terram defendant, alia quoque nihilominus operentur quae ad honorem Dei, profectum Ecclesiae,

*Epist. 203. De eodem argumento.*